



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum II. Quaecunque.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

dos esse; quod verum est, si ita statuto, vel consuetudine receptum sit, ut videl. singulorum rationes audiantur.

Notandum secundum. Si Episcopus Patronos ad concordiam adigere non possit, neque alio modo Ecclesie sine scandalo providere, tunc ad id, tanquam extremum remedium, fugere debet, ut cessationem à divinis imperet in Ecclesia, donec minister constitutus sit. Idem habetur in *c. consequente*. Admonet verò *Glossa finalis hic*, ad hoc medium veniendum non esse, si aliter consuli possit; quare *Abbas hic* ita distinguit; aut est contentio inter Patronum, & Episcopum, tunc Episcopus Administratorem, seu Vicarium amovibilem ponit, donec controversia componatur *argum. c. 4 de officio ordinarij*, & tradit *Innoc. hic*; aut est contentio inter Patronos, tunc Episcopus expectare debet lapsum temporis Canonici, videlicet quatuor vel sex mensium, presentatori concessum; quo tempore elapso, Episcopus ministrum liberè instituet, *tit. c. 3* dummodo sine scandalo possit, sicuti *Glossa finalis* notavit quòd si verò post elapsum hoc tempus ministrum institutum ab Episcopo Patronus repellat, locus erit remedio hujus Capituli, teste *Innoc. in fine Capituli*.

CAPITULUM II

Quæcunque.

PARAPHRASIS.

Si Patroni in presentatione ministri dissident, Episcopus, si aliter consulere Ecclesie non possit, tollat inde reliquias, & ostia Ecclesie claudat, ut nemo in ea celebret, donec Patroni presbyterum idoneum statuunt. Sumptum est ex *Conc. Tiburien. c. 32*, & refertur in *c. si plures 36. causa 16. q. 7*.

Notandum unicum. Si cessatio in divinis ponenda sit ab Episcopo, & Ecclesia claudenda, prius sacra Reliquia exportari

debent; quod tamen intelligi non debet de ijs Reliquijs, quæ altari inclusa sunt, quia per talem extractionem sigillum violaretur, & altare execraretur, ut postea dicitur, idque annotavit *And. Abbas & alij hic*.

CAPITULUM III.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Cùm in quibusdam locis Ecclesiarum fundatores, eorumve hæredes potestate ea, in qua Ecclesia eos hæteus sustinuit, abuti soleant, quando non considerantes, quòd una Ecclesia unius esse debet Rectoris, ob dissensionem plures presentant, idcò *Alexan. III. in Conc. Lateranensi c. 17*. decernit, ut si patronorum suffragia in diversas partes, & personas divisa sint, is præficiatur, qui majoribus juvatur meritis, & plurium suffragiis; sin autem id sine scandalo fieri nequeat, Episcopus Ecclesiam ordinet, sicuti ipsi consultus videbitur, idemque faciat, si inter aliquos de Jure Patronatus quæstio orta sit, & intra 4. menses non definita.

SUMMARIUM.

1. Jus Patronatus competit Patronis Ecclesiarum ex Ecclesia concessione, & gratia.
2. Unus beneficii unus debet esse Beneficiarius.
3. Presentatus à pluribus Patronis, si idoneus sit, institui debet, modo sine scandalo fieri hoc possit.
4. Duo casus sunt, in quibus Episcopus liberam in beneficio patronato instituendi licentiam habet.

Notandum primum. Jus Patronatus competit Patronis Ecclesiarum, ex Ecclesie concessione, & quidem ex gratia, non debito. Ita sumitur ex hoc *c. verbo sus-*

Nnn 2.